



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1859**

XXXII. Die Markgrafen Ludwig der Aeltere und Ludwig der Römer  
überlassen das Patronat über die Pfarrkirche zu Mohrin dem Stifte Soldin  
zur Vereinigung dieser Pfarre mit der Dechanei des Stiftes, am ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55359)

XXXII. Die Markgrafen Ludwig der Ältere und Ludwig der Römer überlassen das Patronat über die Pfarrkirche zu Mohrin dem Stifte Soldin zur Vereinigung dieser Pfarre mit der Decanai des Stiftes, am 31. März 1350.

In nomine domini amen. Nos Ludovicus et Ludovicus etc. Recognoscimus, cum ad augmentum divini cultus tanto amplius obnixi teneamur, quanto frequentius et devocius in locis piis, quibus beneficia nostra conferimus, divina officia celebrentur; hinc est, quod ad laudem et honorem omnipotentis dei et beatorum apostolorum petri et pauli, in salutare remedium animarum progenitorum nostrorum nostrarumque animarum, heredum et successorum nostrorum, jus patronatus ecclesie parochialis in Morin, Caminenfis dioceseos, et omnes fructus et redditus dicte ecclesie et ipsam ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis ad jus et proprietatem ecclesie nostre collegiate in Soldin transferre duximus et perpetuo transferimus per presentes, appropriacionis titulo eandem donantes ecclesie nostre supradicte, sic quod ordinaria auctoritate venerabilis in christo pater et avunculus noster carissimus, dominus Johannes, Caminenfis ecclesie episcopus, eandem ecclesiam parochialem unire valeat et possit decanatu Soldinenfi, incorporare eidem omnibus formis et clausulis, quibus melius et efficacius canonice valeat atque possit et quod in antea temporibus perpetuis decanatus ipse cum dicta ecclesia beneficium unicum pensetur, ut quemcunque dignum et idoneum ad decanatum predictum, cum se facultas obtulerit, venerabili patri domino Johanni, episcopo caminenfi, ac episcopo, qui pro tempore fuerit, nos vel nostri heredes aut successores cum consilio capituli ecclesie Soldinenfis presentaverimus et a dicto episcopo fuerit confirmatus canonice, pro Rectore dicte ecclesie parochialis in Morin habeatur per se vel per alium idoneum, prout sibi secundum deum videbitur expedire, eandem ecclesiam tamquam rector ipsius verus regendo iuraque ibi parochialia canonice exercendo. In cujus etc. testes Bombrecht, Dippoldus Hele, Hager, Langevelder, milites; Gher. Wulff cum ceteris. Datum Franckenfurt, Anno MCCCL<sup>o</sup>, feria III<sup>a</sup> post festum pasche.

Aus Diekmann's Urkunden-Sammlung des Königl. Geh. Staatsarchives s. 126 und der Bresl. Universitäts-Bibliothek.

XXXIII. Markgraf Ludwig überläßt dem Stifte zu Soldin die Pfarrkirche zu Schönfließ, am 15. März und 25. April 1350.

Nos Ludovicus — per devocionis zelum moti, quem ad honorabiles viros prepositum, decanum et capitulum ecclesie soldinenfis hactenus commendabilium suorum meritorum consideratione gessimus, attendentes egestatem et inopiam, nec non necessariorum defectus, quibus ipsos opprimi agnovimus quibusque ob divine remuneracionis respectum animarumque progenitorum, predecessorum, nostre, heredum et successorum nostrorum salutem perpetuam, pro quibus altissimum invocare sedulo tenebuntur, mederi salubriter volumus et nitimur — ipsis preposito, decano et capitulo predictis tam presentibus quam futuris ad sublevamen egestatis et defectuum premissorum, eidem